



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 1. Utrùm sit in Deo prædestinatio; quid sit, & quare sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

ARTICULUS I.

Utrum sit in Deo prædestinatio; quid sit, & quorum sit.

RESPONSIO I.

Datur in Deo prædestinatio. Ita S. Thomas hic q. 23. ar. 1. in O. & est de fide.

Prob. Nam esse in Deo prædestinationem, manifestè docent sacre Scripturæ. Sic enim loquitur Apostolus Rom. c. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit, ... quos autem prædestinavit, hoc & vocavit, &c.* & Ephel. cap. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, &c. in quo (Christo) etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Hinc S. Prosper in resp. 1. ad objectiones Gallorum sic ait: *Prædestinationem Dei nullus Catholicus negat. Ratio autem est, quia de fide certum est Deum electis providere, eos dirigendo, & quasi transmittendo ad finem suum, qui est vita æterna, & ad quem naturalibus arbitrii sui viribus perungere non possunt, quemque proinde nunquam attingerent, nisi ad illum à Deo dirigerentur, & quasi transmitterentur, Ut enim ait S. Thomas loco citato, Ad illud, ad quod non potest aliquid virtute sua natura pervenire, oportet quod ab alio transmittatur, sicut sagitta à sagittante mittitur ad signum. Unde proprie loquendo rationalis creatura, que est capax vite æternæ, perducitur in ipsam, quasi à Deo transmissa. Atqui dirigere electos, & quasi illos transmittere ad finem suum ultimum eo propè modo, & seclusis imperfectionibus, seu salva arbitrii libertate, quo sagitta à sagittante ad scopum dirigitur, & transmittitur, est electos destinare ad finem suum ultimum: Nam, ut ibidem ait S. Doctor, destinare est mittere. Ergo Deus in tempore electos suos ad finem suum ultimum destinavit, & consequenter in æternitate prædestinavit, præconsciendo scilicet & prædestinando in æternitate rationem illos dirigendi in tempore, & quasi transmittendi ad finem illum. Quod adhuc melius intelligitur ex modò dicendis.*

RESPONSIO II.

Prædestinatio est absoluta & efficax, ab æterno facta, preparatio mediorum, quibus cum electi salutem æternam infallibiliter consequuntur.

Prob. 1. ex S. Augustino, cujus in hac præsertim materia vestigiis inhaerere volumus. Sic autem loquitur lib. de præd. Sanct. c. 10. *Inter gratiam porro & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ preparatio, gratia vero jam ipsa donatio. Et paulò inferius eod. cap. Prædestinatio Dei, que in bono est, gratia est, ut dixi, preparatio: gratia vero est ipsius prædestinationis effectus. Nomine autem gratia ipsum omnia media, electis ad consequendam salutem gratis collata, intelligere, extra omne dubium est, Et lib. de bono persev. cap. 14. *Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est, quam præscientia scilicet & preparatio beneficiorum Dei, quibus certis finem liberantur, quicumque liberantur.* 2. Ex S. Thomas hic q. 23. ar. 1. in O. ubi ait: *Ratio transmissionis creature rationalis in finem vite æternæ, in Deo scilicet ab æterno præexistens, prædestinatio nominatur. Et art. 2. in O. Manifestum est, quod prædestinatio est quedam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente divina existens. Et ad 3. Deus ab æterno preparavit prædestinando, concipiens rationem ordinis aliquorum in salutem. Quid autem aliud est hæc ratio transmittendi & ordinandi (efficaciter scilicet) creaturam rationalem ad vitam æternam, quam Deus ab æterno in mente sua præconcepit, & præconsciendo creaturam rationalem prædestinavit, quam collectio illa mediorum, qua Deus in tempore utitur ad perducendam, & qua re ipsa perducit creaturam rationalem ad vitam æternam? Ergo, juxta S. Thomam, prædestinatio non est aliud quam absoluta & efficax, &c. Ratio est, quia, ut dicit S. Thomas ar. 2. in O. prædestinatio est pars providentiæ. At provi-**

dentia est preparatio mediorum, quibus res perducuntur à Deo ad finem, ad quem ab ipso ordinantur, ut docet idem q. 22. ar. 1. in O. *Ipsa igitur, ait, ratio ordinis rerum in finem, providentia in Deo nominatur. Unde Boetius 4. de Consol. dicit, quod providentia est ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta, que cuncta disponit. Ergo prædestinatio, &c.*

Nota obiter. Hæc preparatio, qua prædestinationem constituit, duplex habet subjectum: subjectum quod, & subjectum cui. Subjectum quod, sunt media efficacia, & cum affectione vite æternæ connexa, qua præparantur. Subjectum cui, est homo, vel Angelus, cui media illa præparantur. Item hæc preparatio sumi potest dupliciter, activè scilicet, & passivè. Activè sumpta, sunt actus divini, quibus homini vel Angelo media præparantur: passivè verò sumpta, sunt ipsa media homini vel Angelo præparata. Hæc igitur preparatio primo modo sumpta, est prædestinatio. Secundo modo sumpta, est effectus & objectum prædestinationis. Unde cum dicimus prædestinationem esse preparationem, &c. preparationem, non passivè, sed activè sumimus. Quod erat observandum.

RESPONSIO III.

Prædestinatio, physice sumpta, consistit non in actu intellectus tantum, aut actu voluntatis tantum, sed in actu intellectus simul, & actu voluntatis.

Prob. Ex S. Augustino lib. de bono persev. c. 17. ubi ita loquitur: *In sua, que falli, mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est, nisi prædestinare.* Unde sic argumentor. Ex S. Augustino Deum prædestinare, nihil aliud est, quam Deum in sua præscientia disponere media, quibus infallibiliter in tempore electos perducitur ad vitam æternam. Atqui hæc dispositio realiter includit duos actus, unum scilicet intellectus, proponentis media illa ut connexa cum affectione vite æternæ; & alterum voluntatis media illa eligentis, vel, si vis, approbantis scientiam divinam, qua media illa proponentem: hæc enim dispositio aliud esse non potest realiter, quam scientia divina, ut per voluntatem divinam approbata, qua vitalis propositio talium mediorum: quia Deus in sua præscientia disponere non potest media deliberando: nam deliberatio locum habere non potest in Deo. Unde superest, ut Deus in sua præscientia media disponat, præcisè ex innumeris mediis, qua præscientia divina exhibet, hæc, & non illa eligendo, & approbando. Quod est præscientiam divinam, innumera simul media exhibentem, approbare, ut hæc exhibet media, & non ut exhibet alia; quia ut hæc exhibet media, planè congruit finibus, quos intendit Deus, & modo quo gloriam suam extrinsecam procurare vult. Ergo, &c. Sed

Ad horum clariorem intelligentiam quatuor instantia rationis distingui possunt. In primo Deus certò & infallibiliter novit, quid quilibet homo vel Angelus acturus vel non acturus esset sub quacunque conditione possibili, ad rem pertinet, & consequenter novit media omnia, quibus quilibet homo vel Angelus in qualibet hypothese non solum posset perducere, sed etiam perduceretur ad gloriam, si adhiberentur. In secundo Deus ex innumeris illis mediis certa eligit certis hominibus vel Angelis, seu quod idem est, pro certis hominibus vel Angelis scientiam suam futuribilem, qua proponentem certa media, approbat ut finibus suis congruentem. In tertio absolute & efficaciter vult certa illa media exequi, seu, quod idem est, operari in tempore secundum scientiam suam futuribilem, qua proponentem certa illa media. In quarto, non solum certò præscit hæc media ut futura, sed etiam clarè & intuitivè videt ut existentia pro eo tempore, quo existent, & homini vel Angelo subministrantur. Primum instans prædestinationem antecedit. In secundo existit prædestinatio. Tertium & quartum prædestinationem subsequuntur. In primo instanti nondum est prædestinatio, quia nondum est activa dispositio mediorum certorum, sed omnia adhuc sunt in scientia divina præcisè indeterminata. In

secun-

secundo jam est prædestinatio, quia jam est activa dispositio & preparatio mediorum certorum pro certis hominibus, vel Angelis, ad salutem æternam certissime perducendis, cujus activæ dispositionis & preparationis correlativum est passiva eorumdem mediorum dispositio & preparatio, quæ nihil aliud est, quàm media illa pro certis hominibus vel Angelis preparata & ordinata; & sic, ut loquar cum S. Thoma, jam est ratio *transmissionis creature rationalis in finem vite æternæ, ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in merito divina existens*. Tertium & quartum instans pertinent ad gubernationem, seu ad executionem prædestinationis, quia pertinent ad executionem dispositionis & preparationis factæ.

Ex his autem apertum est, scientiam divinam non esse prædestinationem, quæ est scientia omnium mediorum, quibus adhibitis qualibet creatura rationalis salvaretur; nam sub hoc respectu est solum causa directiva prædestinationis: neque etiam præcisè quæ est scientia horum mediorum, quibus adhibitis hi homines vel Angeli salutem consequerentur; nam sub hoc præcisè respectu nondum est ad hos homines vel Angelos determinata, sed est adhuc pendens, & hos homines vel Angelos ad nihil adhuc destinatur: neque ut est merus intuitus existentie mediorum pro eo tempore, pro quo erunt, & per illa hi homines vel Angeli ad gloriam transmittentur; nam sub hoc respectu solum intuetur executionem prædestinationis, & effectus illius ut existentes pro eo tempore, quo re ipsa existent: sed prædestinationem esse, quæ est scientia certorum mediorum, ut talis approbata pro certis hominibus vel Angelis, & ad illos determinata per actum divinæ voluntatis electivum, quia scilicet hoc ipso quod scientia divina, ut est certorum mediorum, approbatur pro certis hominibus, vel Angelis, & per hanc approbationem ad illos determinatur, hoc ipso, inquam, certis illis hominibus vel Angelis efficaciter disponuntur & preparantur media cum salute connexa, & sic ab æterno certi illi homines vel Angeli prædestinantur in scientia divina ad finem vite æternæ, per certa media in tempore postea destinandi, & quasi transmittendi in re ad finem illum per media illa.

Prædestinatio igitur, etiam in recto sumpta, est præscientia divina, & electio seu propositum divinum: est enim scientia, qua Deus non quidem simul ratione, sed simul tempore certè & infallibiliter novit per talia media hominem, vel Angelum ad gloriam perventurum, si adhibeantur; & clarè atque intuitivè videt hominem, vel Angelum per media illa ad gloriam pervenientem in tempore; quamvis non sit hæc scientia secundum utrumque respectum, sed solum secundum primum. Est etiam electio seu propositum divinum. Electio enim & propositum illud, est actus quo voluntas divina scientiam divinam, ut est talium mediorum, certissime transmissurorum hominem, vel Angelum, si adhibeantur, approbat, & approbando ad hominem vel Angelum determinat, ut causam salutis illius directivam. Hinc in Scripturis prædestinatio modò præscientia, modò electio vel propositum nominatur, ut patet ex Rom. cap. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit*. Ex ead. cap. 11. *Non repulit plebem suam, quam præscivit*. Ex Ephel. cap. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*. Ex Rom. cap. 8. *Qui secundum propositum vocati sunt sancti*. Apostolus imitatur Augustinus, ut lib. de prædest. Sanct. cap. 10. *Prædestinatio Deus præscivit ea, quæ fuerat ipse facturus*. Et lib. de bono persev. c. 14. *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia & preparatio beneficiorum, &c.* Et adhuc lib. de prædest. c. 18. *Quomodo eligeret eos, qui nondum erant, nisi prædestinando? Elegit ergo prædestinans nos..... ipse quippe operatur secundum propositum suum, ut simus in laudem gloriæ ejus: propter quod nos vocavit, prædestinans ante mundi constitutionem*. Ex hoc Simonnet Theol. Tom. I.

proposito ejus est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, quia secundum propositum vocati sunt sancti. Apostolus igitur, & post eum Augustinus, indifferenter utuntur vocabulis præscientiæ, electionis, & propositi, ad significandam supernaturalem Dei erga illos, qui salvantur, providentiam: quia nimirum providentia illa est præscientia cum electione seu proposito, electio seu propositum cum præscientia: sic ut præscientia, electio & propositum non dicantur de providentia in obliquo, nisi grammaticaliter.

RESPONSIO IV.

Prædestinatio est hominum, non quidem omnium, sed certorum tantum.

Et 1. quod homines prædestinentur, post S. Augustinum docet S. Thomas hic q. 23. art. 1. in O. & est de fide. Apostolus enim locis resp. 1. laudatis, & aliis similibus, manifestè loquitur de hominibus. Similiter S. Prosper verbis eadem resp. allegatis, de hominum prædestinatione loquitur, sicut & S. Augustinus lib. de bono persev. cap. 18. cum ait: *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse*. 2. Quod non omnes, sed tantum certi homines prædestinentur, docet S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. lib. de bono persev. &c. Et S. Thomas hic q. 23. art. 1. in O. juncto art. 3. in O. & est de fide. Nam 1. Christus dicit, Matth. cap. 20. & 22. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Nominè autem electionis prædestinationem intelligit, ut apertè colligitur ex parabolis, quas his verbis concludit. Multi itaque juxta mentem Christi vocantur, sed pauci vocantur secundum propositum. Multi vocantur, sed pauci vocantur quomodo illis congruit ut vocantem sequantur; & pauci sic vocantur, quia pauci sunt prædestinati. Paucos porrò dicit electos Christus, non absolutè, sed relatè ad reprobos. 2. Apostolus sic loquitur ad Rom. cap. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.... quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit. Cum autem dicit Apostolus, *iis qui secundum propositum, &c.* apertè significat non omnes, etiam Deum diligentes, vocatos esse secundum propositum ad sanctitatem, quia nimirum illi tantum vocantur ad sanctitatem secundum propositum, qui perseverant in sanctitate: at non omnes in sanctitate perseverant, sed multi inter iustos ab illa ante mortem excidunt, & in peccato moriuntur. Item cum Apostolus dicit, *Quos prædestinavit... hos & glorificavit*; apertè dicit prædestinationem esse eorum tantum, qui re ipsa glorificantur: at non omnes glorificantur. 3. Joannes Apostolus epist. 1. cap. 2. hæc habet: *Et nunc Antichristi multi facti sunt. Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis, supple, Deus permittit, ut in apertam hæresim & apostasiam deficerent*. Apostolus piè credens omnes eos, ad quos scribebat, esse de numero prædestinatorum; de Hæresiarcho, contra quos invehitur, dicit: *Non erant ex nobis*, hoc est, non erant nobiscum prædestinati: nam si fuissent, utique nobiscum in vera Christi fide & sanctitate perseverassent. Audiamus Augustinum lib. de bono persev. cap. 8. ubi sic ait: *Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei*. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, aut unus prædestinatorum, qui de peccatore Domini bibeat hoc secretum, mansissent utique nobiscum. Quid est, quæso, Non erant ex nobis?... Nonne utrique a Deo creati?... nonne utrique vocati fuerant, & vocantem secuti, utrique ex impiis justificati...

secundum hoc omnia ex nobis erant: verumtamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis Quenam est tandem ista discretio? Non erant secundum propositum vocati; non erant in Christo electi ante constitutionem mundi; non erant in eo sortem consecuti; non erant predestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur; nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent. 4. Illi tantum sunt inter homines predestinati, quibus Deus preparavit media efficacia, & cum affectione salutis connexa. Sed fide certum est, quod Deus talia media non omnibus, sed certis tantum hominibus preparaverit in aeternitate, & conferat in tempore. Ergo, &c.

Obj. Deus preparavit omnibus hominibus media idonea ad salutem, licet aliis plura & majora, aliis verò minora & pauciora. Ergo omnes homines sunt predestinati. R. neg. consequens. Nam predestinatio non est preparatio mediorum præcisè idoneorum ad salutem cum illis assequendam, sed est preparatio mediorum efficacium, & in primis perseverantia finalis, quæ cum gloria aeterna infallibiliter connexa est. Unde homines, qui non salvantur, non fuerunt predestinati, quamvis accipiant media ad salutem idonea, quibus cum, si eis rectè uterentur, salvarentur, aut ulteriora acciperent, quibus rectè usi salutem consequerentur aeternam.

Dices. Deus iis, qui salvantur, preparavit quidem media efficacia, & cum salute certissimè connexa, at preparavit præcisè ut idonea, & tamen dicitur eos predestinasse. Ergo etiam dicendus est alios predestinasse, quia illis media idonea, ut talia, preparavit. R. 1. querendo ab adversariis, unde habeant, Deum preparando iis, qui salvantur, media efficacia, & cum salute certissimè connexa, non preparasse illa ut efficacia & cum salute connexa, sed præcisè ut idonea? nullum enim hujus præcisionis vestigium extat sive in Scripturis, sive in Patribus. An quia Deus non potuit certos homines præ cæteris diligere? Si ita est, Deus non potuit aliis plura & majora, aliis verò pauciora & minora auxilia preparare. Quod est absurdum, etiam secundum adversarios. An quia cum voluntate dandi certis hominibus auxilia efficacia & cum salute connexa, ut talia, stare non potest voluntas sincera salvandi reliquos? At hoc est manifestè falsum. Nam voluntas absoluta & efficax salvandi aliquos, non pugnat cum voluntate conditionata salvandi alios; hæ enim duæ voluntates pugnare non possunt inter se, nisi circa idem subiectum, cui Deus vult salutem. An denique quia cum voluntate dandi certis hominibus auxilia efficacia & cum salute connexa, ut talia, stare non potest voluntas indifferens & æqualis circa salutem omnium hominum? At hæc voluntas saltem redolet Pelagianismum & Semipelagianismum. Præterea, quis dicat Deum non majori affectu voluisse salutem Petri, quam salutem Judæ; aut non majori affectu velle salutem fidelium, quam salutem infidelium, qui de Christo nihil unquam audiunt, & in infidelitate negativa moriuntur?

Resp. 2. hanc præcisionem nullatenus prodesse reprobis, quibus tamen consulere volunt adversarii; nec ad aliud valet, quam ad extenuandam Dei ergo electos benevolentiam, & infirmendam electorum erga Deum gratitudinem.

Resp. 3. hanc præcisionem pugnare non solum contra doctrinam S. Augustini, & aliorum Patrum, qui in hac materia diligenter & ex professo versati sunt, sed etiam cum divinis Scripturis: cum enim preparationem gratiarum factam pro electis, vocant predestinationem, electionem, propositum, manifestè significant specialissimum quendam Dei erga electos in preparandis gratiis illis affectum, qui affectus nec esse nec intelligi potest, nisi dicatur Deus gratias illas preparasse, ut efficaces, & cum salute connexas; nam si Deus illas non preparavit electis ut tales, efficacia illarum, & connexio cum salute electorum, habuit se purè materialiter ad af-

fectum divinum, & ita Deus non alio affectu voluit illas electis, quam voluit reprobis gratias purè idoneas.

RESPONSIO V.

Prædestinatio est etiam Angelorum, non quidem omnium, sed eorum tantum, qui steterunt, & in accepta à Deo sanctitate perseverarunt. Ita S. Thomas hic q. 23. ar. 1. ad 3.

Prob. 1. ex S. Augustino in Enchiridio c. 100. ubi ita loquitur: *Hæc sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, & tam sapienter exquisita, ut cum angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleverit ipse quod voluit, bene utens & malis, tanquam summè bonus; ad eorum damnationem, quos jussu predestinavit ad poenam, & ad eorum salutem, quos benigne predestinavit ad gratiam;* quatenus scilicet, quantum ad rem præsentem pertinet, 1. Ex occasione malorum Angelorum contra Deum rebellionis, magis exarsit in mentibus sanctorum Angelorum zelus divinæ gloriæ. 2. Ex aspectu penæ de malis Angelis abique morasumptæ, aucto in bonis Angelis reverentia timore Dei in officio magis confirmati sunt, & experti Deum erga se benigniorem, majori gratitudinis affectu illi adhæserunt. Falsum igitur est, quod nonnulli tamen confidenter dicunt, Augustinum loquentem de sanctorum Angelorum perseverantia, vel gloria illis data, nulquam uti prædestinationis nomine: nam manifestè loco citato tam attribuit sanctis Angelis prædestinationem, quam hominibus electis, tacito utrinque prædestinationis discrimine, ad quod de industria utitur hoc vocabulo, *benigne*; & manifestè significat Deum, summè bonum, lapsu malorum Angelorum, à se permissio, bene usum esse ad exequendam prædestinationem sanctorum, eorumque perseverantiam promovendam, & consummandam.

Prob. 2. Ratione. Quia Deus ratione prius, quam quidquam decerneret, & consequenter ratione prius, quam veller Angelos creare, illoque ad statum supernaturalem elevare, per scientiam futuribilium norat, quid quilibet Angelus possibilibus, si eum creare & ad statum supernaturalem elevare veller, acturus aut non acturus esset, si tali vel tali auxilio gratiæ adjuvaretur; ac proinde norat, quod hi Angeli, si crearentur, & ad statum supernaturalem elevarentur, in accepta sanctitate permanerent, si his; non permanerent, si illis tantum auxiliis adjuvarentur. Ergo si non solum voluit creare & ad statum supernaturalem elevare hos Angelos, sed etiam illis conferre hæc potius, quam illa auxilia, voluit ex directione scientiæ, qua certò & infallibiliter norat illos cum his, & non illis gratiæ auxiliis, in sanctitate perseveraturos, & consequenter, repudiatis auxiliis merè sufficientibus, voluit illis auxilia efficacia, & cum affectione gloriæ connexa, cognita, proindeque voluit ut talia. Atqui hoc est prædestinare. Ergo, &c.

Confirm. ex S. Augustino lib. 12. de civ. c. 9. ubi dicit sanctos Angelos in sanctitate perseverasse, aut quia intensiorem charitatem in creatione acceperant, aut quia potentiori auxilio adjuti fuerunt: *Aut minorem, inquit, acceperunt (Angeli reprobi) amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem persisterunt: aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt.* Ergo ex S. Augustino Deus non omnibus Angelis eadem gratiæ auxilia in tempore contulit, nec proinde omnibus eadem in aeternitate preparavit; sed aliis minora, quibuscumque erant perseveraturi non erant, aliis majora, quibuscumque erant perseveraturi; & hoc fecit scienter, & ante prævisionem meritum quorumlibet vel demeritorum. Sed quid hoc aliud est, nisi alios negativè reprobasse, alios verò prædestinasse? Ergo, &c.

Obj. 1.

Obj. 1. Prædestinatio est præparatio gratiæ ex natura sua efficax. At gratia ex natura sua efficax non fuit præparata Angelis in æternitate: nam in tempore vel nullam gratiam actualem, vel non nisi versatilem acceperunt, sicut & primi parentes, quando fuerunt in statu innocentie: Deus enim illos reliquit in manu consilii sui, & dimisit in libero voluntatis arbitrio. Unde S. Augustinus lib. de corr. & grat. c. 10. sic loquitur: *Saluberrimè consideremus, quod rectissime credimus, Deum . . . sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sue gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium. Denique Angelis quidam, quorum princeps est, qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt . . . ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt.* Hinc S. Doctor c. sequenti dicit, gloriam & ejus prærogativas, ut impeccabilitatem, respectu sanctorum Angelorum habere rationem præmii & mercedis, sicut habitura erat respectu primorum parentum, & eorum posteritatis, si perseverassent in statu innocentie: nunc verò post Adami lapsum esse donum gratiæ respectu electorum, quia nimirum non permittuntur libero voluntatis arbitrio, sola gratia versatili adjuto, sed per gratiam ex natura sua efficacem ad perseverantiam indeclinabiliter & insuperabiliter prædeterminantur, secundum propositum, quo Deus illos in æternitate misericorditer à massa perditionis discrevit, & prædestinavit ad gloriam. Verba autem S. Doctoris sunt: *Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est & Angelis sanctis, merces meriti? Nunc autem per peccatum perdit bono merito, in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

R. neg. maj. Nam ad prædestinationem requiritur & sufficit, ut sit præparatio beneficiorum, quibus certissime salvabitur homo vel Angelus. At inquit: Homo vel Angelus nec salvabitur, nec salvari poterit certissime per illa beneficia, nisi sint gratiæ ex natura sua efficaces. R. hoc esse falsum. Nam sufficit, ut Deus præciat hominem vel Angelum salutem consecuturum esse per illa beneficia, si conferantur. Tunc enim homo vel Angelus per illa beneficia, quantumcumque ex natura sua repudiabilia sint, tanta certitudine salutem re ipsa consequetur, quanta certitudine Deus novit omnia, quæ novit, hoc est, summa certitudine. Hæc est doctrina S. Augustini, qui prædestinationis & salutis prædestinatorum certitudinem repetit, non à natura gratiarum, quas Deus prædestinatis præparat, sed ab infallibilitate & immutabilitate præscientiæ divinæ, ut patet v. g. ex lib. de bono persever. cap. 17. ubi ait: *In sua quæ falli, mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est, nisi prædestinare.* At inquit adhuc: De ratione prædestinationis est, ut Deus vi illius prædestinatum prædeterminet ad opera salutaria, & maxime ad perseverantiam finalem. Atqui nisi prædestinatio sit præparatio gratiarum ex natura sua efficacium, Deus vi prædestinationis non prædeterminat prædestinatum ad, &c. Ergo, &c. R. n. maj. Nam de ratione prædestinationis solum est, ut Deus per illam præparet in æternitate, & ita vi illius in tempore subministret media prædestinato, quibuscum in sanctitate & bonis operibus perseveraturus est certissime. Ad hoc autem non requiritur ut media illa sint gratiæ ex natura sua efficaces. At inquit denique: S. Augustinus docet homines electos, vi prædestinationis suæ, quam post absolutam lapsum Adami prævisionem factam esse tenet, à Deo prædeterminari saltem ad perseverantiam finalem. R. ita esse, & nos S. Doctoris in hac re mentem libentissime sequi. At juxta mentem S. Augustini, homines electos ad perseverantiam finalem determinat Deus, non illis gratias aliquas actuales ex natura sua efficaces & prædeterminativas conferendo, sed illis

Simonnet Theol. Tom. I.

præparando & procurando decessum in statu gratiæ independentem ab ipsis. Quod enim hoc tempore moriantur, non ab ipsis, sed à sola præordinatione divina dependet. Porro cum Deus non potuerit hoc pacto perseverantiam finalem procurare Angelis sanctis, qui immortales erant, procuravit illis, adjuvando illos quomodo sciebat illis congruere, ut in sanctitate, in qua creati erant, non solum permanere possent, sed etiam re ipsa permanerent; quo etiam pacto, si voluisset, homini in statu innocentie perseverantiam procurasset, & si procurasset, non procurasset nisi vi prædestinationis suæ, quæ hominem ad perseverandum in statu innocentie prædestinasset: sicut Angelis sanctis perseverantiam modo explicato non procuravit, nisi vi electionis & propositi sui, quo illos ad perseverandum in sanctitate, in qua creati sunt, prædestinavit. Ex quibus apparet ad rationem prædestinationis solum requiri, ut Deus certissime præparet in æternitate, & in tempore procuret perseverantiam prædestinati, quocumque tandem modo procuret.

Ad reliqua, quæ in objectione sunt addita, R. Adversarios omnino aberrare à sensu & mente S. Augustini. Cum enim dicitur S. Doctorem ita loqui locis allegatis, quia putavit Deum Angelis & homini innocentie gratias tantum, ut loquuntur, versatiles dedisse, & hominibus, quos prævio Adami lapsu prædestinavit, dare gratias ex natura sua efficaces, tanquam in hoc statu ad bonum faciendum & malum vitandum necessarias, dare, inquam, reliquis hominibus rejectis, & in massa perditionis derelictis, nihil à mente S. Doctoris alienum magis dici potest. Itaque juxta mentem S. Doctoris, Deus ostendit in Angelis quid posset eorum liberum arbitrium, in eorum libero arbitrio, supernaturali gratia adjuto, perseverantiam eorum dimittendo, & res ita ordinando, ut eorum aliqui, ipso permittente, caderent, reliqui, ipso tamen specialiter providente, ut dicit S. Doctor lib. 12. de Civ. c. 9. starent. Similiter Deus in primo homine ostendit, quid posset ejus liberum arbitrium, ejus libero arbitrio, eximii gratiæ donis instructo, perseverantiam in statu innocentie committendo, nec malum illius ulum impediendo. In statu verò naturæ lapsæ Deus ostendit, quid posset suæ gratiæ beneficium, & justitiæ iudicium, suæ quidem gratiæ beneficium in hominibus ex pura misericordia prædestinatis, non solum gratuito movendo illos, quomodo illis congruit, ut tentationes adversitatesque vincant, & bonum velint, atque perficiant, sed etiam velint, atque perficiant usque in finem, non illos intrinsecè ad bonum prædeterminando, sed infallibiliter illis bonam mortem procurando, quod præstat vel rapiendo illos, antequam cadant, vel postquam ceciderunt, relinquendo illos, donec resurgant, & ad justitiæ statum redeant: justitiæ verò suæ iudicium in hominibus reliquis, qui vel nunquam justificantur, vel justificati, iterum ad statum peccati relabuntur, & antequam respuerint, ex hac vita decedunt. Nam si Deus vellet, justificarentur, & justificati ante casum raperentur, aut post casum in hac vita manerent, donec amissum gratiæ statum recuperarent. Quod cum non fiat, iustissimo, licet occultissimo Dei iudicio non fit. Unde apparet in hoc statu naturæ lapsæ perseverantiam finalem non in bono aliquo liberi arbitrii usu, sed in bona morte, seu in decessu in statu justitiæ consistere, qui decessus est purum gratiæ divinæ beneficium. Non enim est in potestate hominis, ut hoc tempore, quo in statu gratiæ decederet, potius quàm alio, moriatur; sed est in potestate solius Dei, qui terminos vitæ omnibus hominibus pro suo beneplacito constituit, tanquam supremus vitæ & necis arbiter.

Denique, cum Sanctus Augustinus dicit Angelis sanctis, qui steterunt, retributam esse gloriam, tanquam mercedem meriti, & pariter retribuendam fuisse homini, si permanisset in statu innocentie; nunc verò gloriam esse merum gratiæ donum, quia bonum meritum, cujus gloria præmium fuit in Angelis sanctis, & fuisset in homine innocente, perseverante in statu innocentie, per Adami peccatum perditum est;

G 4 cum,

cum, inquam, hoc dicit S. Augustinus, loquitur de gloria relatè ad perseverantiam, quæ in Angelis, qui in sanctitate permanserunt, fuit meritoria, & fuisset in homine innocente, si perseverasset in statu innocentie; nunc verò post lapsum Adami est merum gratiæ donum, quia nunc non in bono usu liberi arbitrii, quantumvis elevati, & per gratiam supernaturaliter adjuti, sicut prius consistebat in Angelis, & homine innocente, sed in bona morte consistit, quæ merum est divinæ misericordiæ beneficium: unde homo per peccatum primi parentis amisit bonum perseverantiæ meritum. Quare in Angelis, qui steterunt, gloria tanquam merces perseverantiæ merito reddita fuit, & reddita fuisset in homine innocente, si in statu innocentie permansisset; nunc verò relatè ad perseverantiam finalem, est merum donum gratiæ, quia ipsa finalis perseverantia est merum gratiæ donum. Quod non impedit, ne gloria etiam in præfenti statu naturæ lapsæ rationem habeat mercedis & præmii relatè ad bona opera, in statu iustitiæ facta: sunt enim meritoria de condigno gloria, quæ proinde illis tanquam merces debetur, & re ipsa, ut fides docet, retribuitur, posita tamen finali perseverantia, tanquam conditione sine qua non gloria, neque ut merces, neque ut hereditas datur. Dicere autem quòd S. Augustinus senserit bona opera, in statu iustitiæ facta, fuisse merita in Angelis & homine innocente, quia fuerunt in Angelis & homine innocente à libero arbitrio, sola gratia versatili adjuto, nunc verò esse dona gratiæ, quia sunt à voluntate per gratiam inspirationis prædeterminata, merum commutatum est. Præterea, sic bona opera in Angelis & homine innocente fuerunt bona merita, ut fuerint etiam gratiæ dona. Similiter bona opera in præfenti statu ab homine iusto facta, sic sunt gratiæ dona, ut sint etiam hominis iusti bona merita, ut docet S. Augustinus, & est de fide.

Obj. 2. Prædestinatio est propositum miserendi. At propositum miserendi locum habere non potuit in Angelis, qui steterunt: nam propositum miserendi supponit miseriam peccati in eo, cuius Deus decrevit misereri. Angeli autem, qui steterunt, nunquam experti sunt miseriam peccati: nunquam enim peccaverunt. Ergo in illis locum habere non potuit prædestinatio. Hanc objectionem proponit S. Thomas hic q. 23. ar. 1. ad 3. & sic respondet: *Ad tertium dicendum, quod prædestinari convenit Angelis, sicut & hominibus, licet nunquam fuerint miseri. Nam motus non accipit speciem a termino a quo, sed a termino ad quem. nihil refert ad rationem prædestinationis, utrum aliquis prædestinetur in vitam æternam à statu miserie, an non: quia nimirum, ut dicit S. Doctor in O. tota essentia prædestinationis consistit in eo, quòd sit ratio transmissiōis creature rationalis in finem vite æternæ, in mente scilicet divina existens hoc est, preparatio & dispositio in mente divina mediorum, quibus creatura rationalis in finem vite æternæ infallibiliter in tempore transmittitur, sive à statu peccati transmittatur, quia in se vel in alio peccavit, sive non transmittatur, quia nunquam peccavit neque in se, neque in alio. Unde quòd creatura rationalis in tempore à statu peccati transmittatur in finem vite æternæ, accidentarium est prædestinationi, ut sic, & ita prædestinationi ut sic accidentarium est, quòd creatura rationalis non fuerit ab æterno prædestinata in vitam æternam, nisi post absolutam prævisionem alicujus peccati, & sic ab æterno fuerit à statu peccati prædestinata in vitam æternam.*

R. 2. dist. maj. Prædestinatio facta post absolutam prævisionem alicujus peccati, est propositum miserendi, C. maj. Facta sine tali prævisione, N. maj. Et concessa min, dist. conseq. Ergo prædestinatio, facta post absolutam prævisionem alicujus peccati, locum habere non potuit in Angelis, qui steterunt, C. conseq. Facta sine tali prævisione, N. conseq. Sed sic adhuc dist. maj. Prædestinatio est propositum miserendi relatè ad homines, C. maj. Relatè ad Angelos, N. maj. Ratio disparitatis est, quia Angeli, qui steterunt, & in quos solos cadit prædestinatio divina, neque in

se, neque in alio unquam peccaverunt, & sic neque in se, neque in alio peccatori, prævisi fuerunt à Deo in æternitate. Unde, propriè loquendo, Deus in æternitate nec habuit, nec habere potuit propositum illis miserendi; sed solum habere potuit, & habuit propositum illis beneficiendi. Ut verò inter homines, qui salvantur, & consequenter inter homines, qui prædestinati fuerunt ad salutem (nam ii tantum salvantur, qui ad salutem prædestinati fuerunt,) nullus est, qui non peccaverit in Adamo, ita & nullus est, qui commiseratione divina non ceget, ut salvetur. Unde nullus est relatè ad quem prædestinatio divina non sit propositum miserendi.

Dices. Prædestinatio hominum facta est ante absolutam peccati originalis prævisionem. Ergo non est magis propositum miserendi, quam prædestinatio Angelorum. *R. 1.* Etiam dato, quòd prædestinatio hominum facta fuerit ante absolutam prævisionem peccati originalis, adhuc tamen illam includere propositum miserendi. Cum enim omnis homo, naturali via ab Adamo deicendens, in illo peccante peccaverit, nullus salvari potest, nisi peccatum illud ipsi misericorditer condonetur, & vel à statu miserie præservetur, ut B. Virgo; vel saltem, si aliquandiu in eo fuit, ab eo ad statum iustitiæ transferatur, quod fieri non potest à Deo sine proposito miserendi. *R. 2. neg. ant.* cuius oppositum constanter tenuit S. Augustinus. Unde sanctorum hominum prædestinationem definit lib. de bono persév. c. 14. *Præscientiam & preparationem beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur, à massa scilicet perditionis, hoc est, ab universo genere humano, quod per peccatum sui capitis massa quædam damnata factum est, misericorditer lecernuntur, & seliguntur, ad vitam æternam infallibiliter perducendi.* Præterea, prædestinationem hominum non nisi post absolutam peccati originalis prævisionem factam esse, manifestè docent, aut saltem supponunt Scripturæ sacræ. Nam Apostolus ad Rom. c. 9. præoccupans querelas eorum, qui de Deo expostulant, quòd non omnes, sed aliquos tantum, aut hunc potius quam alium prædestinavit, sic loquitur: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. cuius vult misereri, & quem vult indurare. An non habet potestatem singulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Porro ex dictis habetis hoc Articulo facillè habetur integra notio prædestinationis hominum, de qua ex professo agimus. Pro quo fit,*

COROLLARIUM.

Prædestinatio est præscientia & propositum Dei, quibus certi homines, à massa perditionis misericorditer separati, per media infallibilia ad portum salutis æternæ diriguntur, & perducuntur.

Expl. Prædestinatio dicitur, 1. Præscientia, & propositum: nam est preparatio, & dispositio mediorum cum salute connexorum: hæc autem preparatio seu dispositio consistit in duplici actu, nempe in actu, quo intellectus divinus cognoscit media cum salute connexa, ut talia; & actu, quo divina voluntas media illa eligit & approbat. Hoc ipso enim media, quibus prædestinatus ad salutem in tempore dirigitur, sunt disposita & preparata in mente divina: cum in Deo mediorum, quibus prædestinatus ad salutem dirigitur, dispositio & preparatio, activè sumpta, nec sit, nec possit aliud esse, quam scientia, qua certò & infallibiliter Deus novit cum talibus mediis, si adhibeantur, talem perventurum ad salutem, ut talis pro tali efficaciter approbata, sicque determinata ad negotium salutis illius dirigendum, ut fusiùs supra dictum est.

Dicitur 2. Dei, quia solius Dei est prædestinare: sicut enim solius Dei est creaturam rationalem beare, ita solius Dei est in æternitate sua disponere & preparare creaturæ rationali media, quibuscum in tempore collatis pervenire possit, & perveniat ad beatitudinem, juxta illud Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Dicitur 3. Homines, quia hic non de Angelorum, sed hominum prædestina-

tione

tione agitur. Dicitur 4. Certe, quia Deus ad salutem eternam non prædestinavit omnes homines, cum multi ad eam non perveniant; sed aliquos tantum, eosque non confusè, sed distinctè, hunc scilicet, & illum, & istum, &c. in particulari. Dicitur 5. A massa perditionis, quia, ut probatum est, prædestinatio hominum facta est ratione posterius ad absolutam peccati originalis prævisionem, & consequenter ratione posterius, quam universum genus humanum per peccatum originale factum est massa quædam damnata & perdita. Dicitur 6. Misericorditer separari, quia Deus non nisi post absolutam prævisionem peccati originalis prædestinando homines, quos prædestinavit, nullum bonum meritum in illis reperit, propter quod illos prædestinare posset; sed solum meritum malum, propter quod illos iuste damnet, si vellet: quare si illos per suam prædestinationem à massa perditionis separavit, misericorditer hoc fecit, donans illis indebitam gratiam, cum posset reddere debitam poenam. Sed de hoc fusiùs infra, ubi de gratuitate prædestinationis. Dicitur 7. Per media infallibilia, propter summam prædestinationis certitudinem, de qua modò. Dicitur denique 8. Diriguntur & perducuntur, &c. in hoc enim prædestinationis executio consistit, ut, qui misericorditer selecti sunt ex massa perditionis per gratuitam dispositionem & præparationem mediorum efficacium, & cum salute connexorum, pro illis factam, media illa in tempore accipiant, & per illa ad salutis eternæ portum feliciter appellantur.

ARTICULUS II.

Utrum prædestinatio certa sit & immutabilis.

RESPONSIO I.

Preædestinatio certa est certitudine summa.

Prob. 1. ex Script. Nam Joan. c. 10. dicit Christus: *Oves mee vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quæ verba aperte significant summam certitudinem. Neque enim Christus idem tot verbis, & tam expressè inculcat, nisi ad significandam certitudinem summam rationis, qua in salutem eternam diriguntur prædestinati, quos oves suas nominat. Huc etiam collimat illud Apostoli Rom. c. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Nam si prædestinatis omnia cooperantur in bonum, tentationes, adversitates, persecutiones, & alia mala quæque etiam gravissima: quid posset eorum in vitam æternam transmissionem incertam reddere? 2. Ex S. Augustino, qui lib. de bono perlev. c. 14. describit prædestinationem *præscientiam & præparationem beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* Et lib. de corr. & grat. c. 7. de prædestinatis sic loquitur: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Unde sic argumentor. Tanta certitudine certum est, neminem prædestinatorum esse periturum, quanta certum est Deum nunquam esse fallendum, aut humano vitio vincendum. Atqui hoc certum est certitudine summa. Ergo & illud. Hinc S. Doctor eod. lib. c. 12. de certitudine, qua in præsentis statu prædestinati in fide, qua per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, & perseverando salutem assequuntur, hæc habet: *Subvenitur est infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo, quamvis infirma, non tamen desiceret, neque adversitate aliqua vinceretur... infirmis servavit, ut ipso donante, invictissime, quod bonum est, vellent, nec hoc deserere, invictissime nollent.* Supposito enim quod Deus decreverit subvenire voluntati prædestinatorum, agendo & movendo illam, quomodo scit illi congruere, ut, quamvis propter concu-

piscenciæ aegritudinem infirma, non tamen deficiat, nec cedat adversitatibus, sed id, quod bonum est, velit, & usque in finem velit: tam nequit hæc voluntas adversitate aliqua vinci, ab amore boni deterreri, aut rectam iustitiæ semitam finaliter deserere, quam Deus falli, aut humano vitio vinci nequit. 3. Denique ratione, quia prædestinatio divina tanta certitudine & infallibilitate effectum suum consequitur, & ita tanta certitudine & infallibilitate prædestinatum in vitam æternam dirigit, & quasi transmittit, quanta certitudine & infallibilitate media prædestinato præparata & disposita in mente divina, connexa sunt cum ascensione vitæ æternæ. Atqui connexa sunt certitudine & infallibilitate summa: cum ut talia summa certitudine & infallibilitate præparentur in æternitate, & illorum in tempore executio sit summè inimpedibilis. Ergo, &c.

Obj. 1. Apocal. c. 3. dicitur: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Ergo corona, quæ est effectus prædestinationis, potest acquiri & perdi, & consequenter prædestinatio non est certa.

Ad hanc obj. sic respondet S. Thomas hic q. 23. a. 6. ad 1. *Corona dicitur esse alicujus dupliciter. Uno modo ex prædestinatione divina, & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur, quodammodo nostrum est; & sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco ejus subrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat. Potest igitur corona gloriæ esse alicui destinata dupliciter. 1. Ex prædestinatione divina. 2. Propter præsentem iustitiam, qua homo constituitur amicus & filius adoptivus Dei, & consequenter hæres vitæ æternæ. Corona gloriæ sub primo respectu amitti non potest; sub secundo potest. Scriptura igitur iustum quemque merito adhortatur ad vigilantiam, & ad perseverantiam in statu gratiæ, faciendo bonum, & malum vitando, ne per peccatum mortale iustitiam amittens, amittat jus ad coronam gloriæ, quod habet, quia iustus est. Præterea, cum Deus sincerè velit omnes homines salvos fieri, ut suo loco probabitur, & ita omnibus hominibus media ad assequendam gloriæ coronam idonea conferat, & hoc præsertim erga illos, qui iustificati sunt, præter; Scriptura indiscriminatim iustos omnes ad perseverantiam adhortatur, ne coronam sibi destinatam amittant, quanquam qui ex iustis illis prædestinati sunt, coronam hanc in perpetuum amittere non possint; quia adhortationes ejusmodi utiles sunt prædestinatis, quibus in salutem æternam transmittendis cum cæteris mediis, quæ adhibet Deus, interserviunt, & non prædestinatis utiles essent, si vellent, illisque, nisi mala eorum voluntas obstarer, ad salutis portum feliciter perducendis cum cæteris mediis, quæ vel accipiunt, vel sua culpa non accipiunt, sufficerent.*

Obj. 2. Homo prædestinatus potest mori in statu peccati mortalis. Ergo prædestinatus potest damnari. Ergo, &c.

Ad hanc obj. sic respondet S. Thomas art. cit. ad 2. *Licet sit possibile eum, qui est prædestinatus, mori in peccato mortali secundum se consideratum, tamen hoc est impossibile, posito, prout scilicet ponitur, eum esse prædestinatum. Unde non sequitur, quod prædestinatio falli possit. Itaque homo prædestinatus, si consideretur præcisè ut homo, potest mori in peccato mortali: at non potest, si consideretur ut homo prædestinatus. Nam homo prædestinatus, est homo quem Deus absolute & efficaciter vult mori in statu gratiæ; vel, si vis, est homo, cui Deus absolute & efficaciter præparavit tempus, quo moriturus est in statu gratiæ. At hoc supposito, homo ille non magis potest mori in statu peccati, quam Deus potest falli, aut ulla re vinci. Quod tamen est absolute impossibile. Ergo, &c.*

Dices. Homo prædestinatus potest peccare mortaliter, & statim antequam conteratur, & cum Deo redeat in gratiam, venire in potestatem inimici, ab eoque interfici. Ergo homo prædestinatus potest mori in statu peccati. R. 1. hominem prædestinatum in casu pro-